

stantia videlicet stellæ & Phænomeni, ex arcu FV , declinatione stellæ, resultabit declinatio apparens Phænomeni, arcus videlicet IF : quo detracto ex IB altitudine Meridiana phænomeni, relinquit arcum BF , *Æquatoris inclinationem*. Sit iam ϵ stella & phænomenon ambo *Australia* ac Phænomenon sit K , stella L , distantia inter stellam & Phænomenon LK , declinatio stellæ austrina LF : ablato LK ex LF , relinquitur KF declinatio Phænomeni apparens *Austrina*. Addito autem arcu KF arcui KB , qui est altitudo Phænomeni Meridiana, relinquitur arcus BF altitudo *Æquatoris*. Sed si stella sit in K , Phænomenon verò in L , additur LK ipsi KF , ut fiat FL declinatio apparens Phænomeni: cui additus LB efficit totum BF . Sit verò Phænomenon *Boreale* in puncto I , stella autem *Australis* in puncto K , distantia illorum erit KI : ablato arcu FK à tota KI , relinquit FI declinationem *Borealem* apparentem, qua ablata à toto IB Meridiana altitudine Phænomeni, relinquit arcum FB . Sed si stella sit in I , Phænomenon in K , ablato FI ex toto IK , relinquit FK declinationem *Austrinam* Phænomeni: cui si adieceris arcum KB , conficies arcum BF , qui est *Æquatoris* altitudo.

Quomodo inueniatur vera declinatio cuiuscunque Phænomeni, indeq; vera latitudo, & verus illius locus in zodiaco. Cap. 10.

L 2